

adversus Regulares in casibus, in quibus per Concilium, vel constitutiones apostolicas ipsi subiciuntur, ut in terminis censuit dicta deputata particularis Congregatio in responsione ad secundum dubium conceptum ut sequitur: Secundo: An quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares predictos in casibus, in quibus per Concilium, vel constitutiones apostolicas ipsi subiciuntur, possint conservatores Judices assignare?

40 Respondit, ut ad proximum, non posse. Quod utrumque decretum fuit confirmatum cum variis aliis ab Innocentio X. 14. *Maji ejusdem anni 1648. constituit. incip.* Cum sicut accepimus. Conservatores, quando sunt Presbyteri seculares, tam in civilibus, quam in criminalibus seu mixtis subiciuntur loci Ordinario, ut absolute respondit Sacra Congregat. Concil. in Favent. 17. *Decembris 1667. ad quartum. apud Cardinal. de Luca de jurisdictione disc. 4. num. 2.*

41 De conservatoribus anno 1743. integrum tractatum edidit P. Petrus Maria Forti Societatis Jesu. "At non multum (inquit S. M. Benedicimus XIV. de synod. diocesan. lib. 4. cap. 6. num. 6.) huic. Auctori fidendum est, quoniam multis in locis, sed præsertim articulo 21. Judicium conservatorum jurisdictionem ultra limites præmittit à Sacris Urbis Congregationibus eisdem præscriptis."

CONSTITUTIO UNIGENITUS.

42 **C**onstitutio Unigenitus tantam sibi vindicat auctoritatem, & obsequium, ut eidem publice refragantibus, veluti notoriis, ac publicis peccatoribus, denegandum sit Sanctissimum Viaticum, Bened. XIV. constituit. *incipit* Ex omnibus §. 3. Publici autem, atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agit, quicumque per sententiam à Judice competente prolata, et declarati sunt, eo nomine, quod debitam prædictæ constitutioni Unigenitus venerationem, obsequium, & obedientiam contumaciter denegaverint: Quicumque etiam hujusmodi contumacia reos se in judicio confessi sunt. Ac præterea illi, qui quamvis nec à Judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo sacrum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam, & contumaciam adversus constitutionem Unigenitus sponte professi; vel in antea, tæ vitæ recursu aliquid evidenter commisisse, manifeste oppositum venerationi, obsequio, & obedientiæ, eidem constitutioni debite, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Sunt verba præcisa dictæ constitutionis sub §. 4.

(D. Clemens XI. Romanus Pontifex, Divique Petri Successor, Jesu Christi Vicarius, Caput, Pater, Catholicæ ecclesie, ac Apostolicæ Pastor universalis, infallibilis fidei Magister, per cuius os Spiritus Sanctus suæ sponte Catholicæ ecclesie loquitur, sicut antiquitus locutus est per Prophetas, ne ulterius prava dogmata Janseniana, & Quesnelliana, tamquam sectæ perditionis serperentur, constitutionem supra enuntiatam publicari mandavit, per quam non minus quam unam, & centum propositiones condemnavit, cum penis in contravenientes decernendo; nihil mirum, si prædicta constitutio in hoc opere inseratur, utpote hispanicæ regionis toto intimo cordis affectu, æquale humilitate obsequium eidem & reverentiam debitam præstiterunt, similique ratione constitutio altera ab eodem Sanctissimo Domino Nostro ex throno apostolico edita, in qua omnes Jesu Christi fideles omnis nationis, quæ sub caelo est, jubet, hæreticos vitare adversarios: quæ quidem constitutio incipit. Pastoralis officii: ideo ad litteram utraq; subsequitur:

CONSTITUTIO UNIGENITUS.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Universis Christi Fidelibus salutem, & apostolicam benedictionem.

Unigenitus Dei Filius pro nostra, & totius mundi salute Filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro, ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui explendia pietatis specie prava dogmata latent insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautos obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese divinæ legis sententiis, vel ut quibusdam ovium vellibus obvolvunt, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius novissimi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, à quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudolentia, ibi Divinorum Verborum prætentatur auctoritas.

His non vere divinis monitis instructi, ubi primam, non sine intima cordis nostri amaritudine, acceptimus, librum quemdam gallico idiomate olim impressum, & in plures tomos distributum, sub titulo: *Le Nouveau Testament en François, avec des réflexions morales sur chaque verset* &c. A Paris 1699. Aliiter vero: *Abbrégé de la morale del' Evangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de S. Paul, des Epîtres Canoniques, & de l' Apocalipse, ou Pensees Chrétiennes sur le texte des Livres Sacrés*, &c. A Paris 1693. & 1694. Tametsi aliàs à nobis damnatum, ac revèra catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscerent, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem à pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtundi, ac nonnullorum novas semper tentantium consilio, & opera studiose nimis quaque versum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum nobis Dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus: adeoque pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quam frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium venerabilium fratrum, præsertim Gallicæ Episcoporum, literis, ac precibus excitati, glicenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quaque prorruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providè nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi libri perniciem, ideo potissimum progredi, & invalescere, quod eadem intus lateat, & velut improba sanies, non secto ulcere, foras erumpat; cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molli enim sunt sermones cæsi super oleum: sed ipsi sunt jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittæ in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari à nobis posse arbitrari sumus, quam si falacem libri doctrinam generatim solummodo à nobis hæctenus indicatam, pluribus sigillatim ex eo excerptis propositionibus, distinctis, & apertis explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina è medio trahere, quo tegebantur educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positus, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino,

CONSTITUTIO UNIGENITUS.

no, fore ut omnes tandem aperta jam, manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime è re catholica futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Gallicæ regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerviores scissuras proterendum dissidiis apissime profectum: conscientiarum denique tranquillitati per utile, & propemodum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda catholice fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum, satis laudare non possumus, sæpius nobis est contestatus, repetitis propterea vere piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à nobis efflagitatis, ut instanti animarum necessitati prolata quantoties apostolici censura judicii consuleremus.

Hinc, aspirante Domino, cujusque coelesti ope confisi, salutæ opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudò postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto libro; juxta supra recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, & tum gallico, tum latino idiomate expressas propositiones à compluribus in sacra theologia Magistris, primoquidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus accurate discuti: deinde vero coram nobis, adhibito etiam aliorum plurimorum Cardinalium consilio, quam maxima diligencia, ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libris textu, exactissime facta collatione, pluris iteratis congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem propositiones sunt; quæ sequuntur videlicet.

1. "Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amittit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?"

2. "Jesu Christi gratia, principium efficacæ boni cuiusque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest."

3. "In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis."

4. "Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo."

5. "Quando Deus non emollit cor per interiore munctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviant, nisi ad illud magis obdurandum."

6. "Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando."

7. "Quæ utilitas pro homine in vetete fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, ponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?"

8. "Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit."

9. "Gratia Christi est gratia suprema, sine qua contra Christi numquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus."

10. "Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quæ nihil impedire potest, aut retardare."

11. "Gratia non est aliud, quam voluntas Dei, jubentis, & facientis, quod jubet."

12. "Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei."

13. "Quando Deus vult animam salvare facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit."

14. "Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum."

15. "Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctioe sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit."

16. "Nullæ sunt illecebæ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti."

17. "Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiori docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque autem non venit, postquam audivit vocem exteriorioris filii, nullatenus est doctus à Patre."

18. "Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum."

19. "Dei gratia nihil aliud est, quam ejus Omnipotentis voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradidit in omnibus suis Scripturis."

20. "Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obediri, imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi summissa sunt."

21. "Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis filium suum."

22. "Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis concursu, demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratiæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio."

23. "Deus ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturæ è nihilo producit, & mortuus reddit vitam."

24. "Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate."

25. "Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola suæ voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur."

26. "Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem."

27. "Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum."

28. "Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio."

29. "Extra ecclesiam nulla conceditur gratia."

30. "Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter."

31. "Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium inferunt, quando eis illam optant."

32. "Jesu Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris."

33. "Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibi metipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me."

34. "Gratia Adami non producebat nisi merita humana."

35. "Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita nature sanæ, & integræ."

36. "Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentie, ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepit: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus."

37. "Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est Omnipotens, & digna Filio Dei."

38. "Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris."

39. "Voluntas, quam gratia non prevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virtum, nisi ad se vulnerandum; est

- capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.
40. »Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.
41. »Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi à Deo, & sine gratia non producit nisi presumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectionum adorationis, gratitudinis, & amoris.
42. »Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.
43. »Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habet pro rebus mundi.
44. »Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert; & propter hoc ipsum fit malus.
45. »Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corruptat.
46. »Cupiditas, aut charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt.
47. »Obedientia legis proficere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.
48. »Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate.
49. »Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.
50. »Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.
51. »Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem.
52. »Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.
53. »Sola charitas christiano modo facit actiones christianas per relationem ad Deum, & Jesum Christum.
54. »Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solum Deum audit.
55. »Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.
56. »Deus non remunerat nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat.
57. »Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.
58. »Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.
59. »Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium.
60. »Si solus supplicii timor animat penitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.
61. »Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.
62. »Qui à malo non abstinere, nisi timore pœnæ committit illud in corde suo, & jam est reus coram Deo.
63. »Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.
64. »Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.
65. »Moses, Propheta, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint, nisi mancipia per timorem.
66. »Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci

- per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestia; sed per fidem, & per amorem, sicut filii.
67. »Timor servilis non sibi representat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.
68. »Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide, & precibus.
69. »Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.
70. »Numquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum, vel ad purificandum peccatorem.
71. »Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.
72. »Nota ecclesiæ christianæ est, quod sit catholica, comprehendens & omnes Angelos cœli, & omnes electos, & justos terræ, & omnium seculorum.
73. »Quid est ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subistentium in ejus Persona, Redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, futurum per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri seculi.
74. »Ecclesia, sive integer Christus, in carnatum Verbum habet ut caput; omnes vero sanctos ut membra.
75. »Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & Persona; unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.
76. »Nihil spaciosius ecclesia Dei, quia omnes electi, & Justi omnium seculorum illam componunt.
77. »Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro capite.
78. »Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.
79. »Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.
80. »Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.
81. »Obscuritas Sanctæ Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.
82. »Dies Dominicus à Christianis debet sanctificationi lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle christianum ab hac lectione retrahere.
83. »Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis, lectione sacrorum librorum. Non ex foeminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, & nata sunt hæreses.
84. »Abripere christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.
85. »Interdicere christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim evangelii, est interdicere usum luminis Filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.
86. »Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius ecclesiæ, est usus contrarius praxi apostolica, & intentioni Dei.
87. »Modus plenus sapientiæ, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sententiis statum peccati, petendi spiritum penitentiae, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei antequam reconcilietur.
88. »Ignoramus quid sit peccatum, & vera penitentia, quando volumus statim restitui possessionis bonorum illorum, quibus nos peccatum expoliavit, & detestamur separationis istius ferre confusionem.
89. »Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio ecclesiæ.

90. »Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius corporis.
91. »Excommunicationis injuriæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: numquam eximus ab ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi ecclesiæ per charitatem affixi sumus.
92. »Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.
93. »Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceptis primorum Pastorum fesinatio indigit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.
94. »Nihil pejorem de ecclesia opinionem ingerit, quam ejus inimici, quam videre illic dominium exerceri supra fidem fidelium, & foveri divitiis propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.
95. »Veritates eo deveniunt, ut sint lingua quasi peregrina perierit Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; nec satis advertebat, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.
96. »Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.
97. »Nimis sepe contingit malum illa, quæ magis sanctæ, ac magis stricte unita ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tamquam indigna, ut sint in ecclesia, vel tamquam ab ea separata; sed Justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.
98. »Status persecutionis, & penarum, quas quis tolerat, tamquam hæreticus flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, ut potest quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.
99. »Pervicacia, preventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quod multos in odorem mortis od, quod Deus in sua ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.
100. »Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit: Haberi, & tractari à religionis ministris tamquam impiis, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excaecatus, aut abrepertus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impiis, & sacrificamus diabolo Dei servum.
101. »Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficeret, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.
- Auditus itaque tum voce, tum scripto, nobis exhibitus præfatorum Cardinalium aliorumque Theologorum suffragis, diviniq; in primis luminis, privati ad eum finem, publicisque etiam in dictis precibus, implorato præsidio, omnes, & singulas propositiones præsertas tamquam falsas, captiosas, malesonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, ecclesiæ, & ejus praxi injurias, neque in ecclesiam solum, sed etiam in potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemias, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque

hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæc damnate fuerunt, acceptis continentur, manifestè innovantes respectivè, hæc nostra perpetuè valitura constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandamus omnibus utriusque sexus Christianis fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac nostra constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de his etiam disputativè publice, defendit, ediderit, aut de his forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes à jure statutis penis, ipso facto, absque alia declaratione subiaceat.

Ceterum per expressam præfatarum propositionum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in decursu examinationis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ ut supra damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas: nec sanè paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutriendas, easque falsò christianæ patientiæ nomine prædicantes: quas propterea singulatim recensere, & nimis longum duximus, & minimè necessarium, ac demum, quod intolerabilius est, sacrum ipsum Novi Testamenti textum damnabiliter vitium comperimus, & alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Monteni in multis conformem: à vulgata verò editione, quæ tot seculorum usu in ecclesia probata est, atque orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos exoticos, ac semper noxios sensus, non sine maxima pervertite detortum.

Eundem propterea librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longè accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hæcenus impressum, aut impostum (quod absit) imprimendum, autoritate apostolica tenore presentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus, quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scriptos, quam typis editos, seu forsitan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianis fidelibus sub pœna excommunicationis per contra factis ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ privatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volimus autem, ut eorumdem presentium transcriptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interditionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimotertio, sexto idus Septembris, Pontificatus nostri, anno decimotertio. — L. Cardin. Prodaturus. — F. Oliverius. — Loco Plumbi — Visa de Curia L. Serrardus. — Registrata in Secretaria Brevium. — L. Martinetus.

Anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimotertio, indictione sexta, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Clementis Divina Pro-

Providentia Papa XI. anno decimotertio supradictæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curia Generalis in monte citatorio, in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Petrum Romulatim Apostolicum Cursorem. — Antonius Placentinus Magister Cursorum.

CLEMENS EPISCOPUS,
SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christianis fidelibus præsentis literæ inspectis salutem & apostolicam benedictionem.

PASTORALIS officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura nos admonet, ut animarum saluti ubique terrarum procurandæ, ac præsertim orthodoxæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, puritati servandæ omni studio advigilemus. Ea propter cum in quibusdam ultra montes provinciis, & præcipuè in amplissimo Gallia regno, varia pravarum doctrinarum, immò & hæresum semina, occasione damnati cujusdam libri Gallico idiomate jam pridem editi, sub titulo: *le nouveau testament en François, avec des reflexions morales sur chaque Verset &c.* Alter verbò: *Abregé de la morale de l'Évangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de Saint Paul, des Epîtres Canoniques, & de l'Apocalypse*: vel: *Pensées Chrétiennes sur le texte de ces livres sacrés &c.* germinare cognovissemus; iisdem eradicanis, nostri non minus muneris debito admoniti, quam crebris multorum catholici orbis, ac præsertim Gallia regni, precibus excitati: quin etiam piis, ac sæpius repetitis clar. mem. Ludovici XIV. dum vixit, Francorum Regis Christianissimi votis, & officiis adducti, quascumque potuimus apostolicæ nostræ sollicitudinis partes, adjuvante Domino, interponere non prætermisimus. Quæ autem, & quanta in hoc arduo, gravissimoque negotio per plures annos egerimus, & passi sumus, quæve inobedientium hominum, & paucorum (quod valde dolentes dicimus) illustrium etiam ecclesiarum Antistitum veritati non acquiescentium opera in idem inclytum regnum mala provenierint, vobis ferè omnibus minime ignota esse existimamus. Postquam siquidem, divino in primis implorato presidio, curaque omni, studio, ac labore, prout rei gravitas exposcebat, discutissimè collatis, adversus prædictum librum constitutionem nostram, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*: anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimotertio, sexto idus Septembris, editam promulgavimus; in qua plures noxios articulos ex eodem libro excerptos censuris variis, quas respectivè, ut ajunt, hoc est, singuli aliquam saltem earum merebantur, notatos, pro hujus Sanctæ Sedis more proscripsimus; cujusmodi remedii necessitatem tum memoratus Ludovicus Rex, tum perierique ex Gallia Episcopi supradicti iteratis obstinationibus inculcaverant, non aliter suborta desidia sedari posse constanter affirmantes; tota quidem Christi ecclesia Petrum per nos, tametsi indignos, loquentem secuta; apostolicam ejusdem constitutionis doctrinam debito obsequio, atque obedientia suscepit; At novatores, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, ex inconsulta eorumdem paucorum Antistitum hæsitazione ita animos extulerunt, ut incredibili audacia constitutionem ipsam perversè interpretati, & incensere, præterque etiam doctrinæ per impudentes calumnias insimulare non erubuerint. Itaque ut relaxantes illos Episcopi ad sectanda fratrum suorum vestigia excitaremus, ac turbatum, malorumque omnium fontem, quem improvida illa cunctatio ministraverat, extinguere mus, canonicas animadversiones post diuturnam annorum longanimitatis experimenta adhibere constitueramus. Verùm Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales, quibuscum rationem consilii nostri communicare æquum esse censuimus, Nos enixe observaverunt, ut paullisper severioribus remediis supersederè vellemus, dum interim communibus literis collegam suam constitutioni nostræ sese subijcere detrectantem, atque iisdem propterea animadversionibus obnoxium ad

unitatis, & pacis consilia revocare conarentur. Eorum igitur precibus annuentes, ne quam lenitatis viam inventam relinquere mus, per illas ipsas inducias Nos quoque ad universos Archiepiscopos, & Episcopos regni Galliarum literas in forma brevis die 20. Novembris 1716. expeditas dedimus, quibus rerum gestarum serie, & ecclesiarum perturbatio uberius exposita, illos hortati sumus, ut dissentientes Coepiscopos suos nostro etiam nomine convenirent, eosque officii sui fraterna charitate admonerent, nec non omnibus sacerdotibus sollicitudinis argumentis, imploratoque, nostri etiam verbis, dilectissimi in Christo filii nostri Philippi Ducis Aurelianensis, ejusdem regni Rectoris, patrocinio, ad reparanda ecclesiasticæ unitatis, & disciplinæ detrimenta, atque ad avertenda catholice religionis pericula recte satagerent. Speravimus quidem uberem ex ejusmodi nostris literis fructum, junctoque nobiscum præclarissimorum Gallia Præsulum zelo, qui maximo sæpe numero pro veritate certabant, factum iri credidimus, ut dissidentes fratres, quod nobis adeo in votis erat, lucrari possemus. Atqui spe nostra frustratos festinus Nos vidimus, dolentesque clamare coacti sumus: sustinuit pacem, & non venit, quasvisimus bona, & ecce turbatio: Et sanè tam gravis, ut qui ex adverso erant, illas ipsas nostras, & hujus Sanctæ Sedis voces variis artibus penè intercludere tentaverint. Neque profecto felicitas cessaverunt officia illa, quæ Cardinales prædicti per impetratas à nobis, ut diximus, inducias præstiterunt. Quamquam enim communi totius sacri Collegii epistola, suasiones, consilia, observationes, atque omnem ministerii sui, fraternæque benevolentia fidem, sedulitatem, ac sollicitudinem adhibuisse, frustra se tamen laborasse intellexerunt, neque alium, præter inanes scandalorum, ac dissidiorum expostulationes, sed sine voluntate veram amovendi causam, undè illa emergerant, operæ suæ fructum reportarunt. Non tamen propterea concidimus animo, imò necdum à mitioribus consiliis recessimus: nihil interim curantes, quomodo homines modum hunc agendi nostrum interpretarentur, quippe qui sciremus Deo æquè per infamiam, & bonam famam serviendum esse. Itaque, ut aberrantes in viam justitiæ suaviter revocaremus, iteratis sæpius hortationibus nostris, etiam preces addidimus, eundemque in scopum, privatis literis manu nostra conscriptis, ea omnia paternæ mansuetudinis officia implevimus, quæ suggerere nobis potuit christianæ charitas, quæ patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet. Plures interea Gallicani Antistites non minus sapientia & doctrina, quam pietate, ac studio tuendæ religionis illustres, ex his scilicet, qui debita submissione constitutionem nostram amplexi fuerant, dignitatis & muneris sui probè memores votisque, & officiis nostris obsecrantes, favente etiam eorum conatibus memorato Philippo Duce, ac Rectore, curas omnes suas, assiduosque labores ad discordantium fratrum animos permovendos enixe conferre non omiserunt. Sed hæc omnia prosperum illum, quem summo perestolabamur, exitum minime habuerunt. Obscurati siquidem sunt renitentium oculi, ne viderent, ac obturatae sunt aures, ne audirent; adeo ut nonnulli eorum, non sine bonorum omnium luctu, hostiumque ecclesiæ plausu, ad ea insuper publicè devenire ausi fuerint, quæ omnes ex vobis, quibus illa innotuerunt, improbasse non dubitamus, quæque ipsimet, qui ea perpetrarunt, à Nobis, & à Sancta Romana Ecclesia palam, atque perpetuo damnanda, atque execranda esse non ignorabant. Quare Nos, qui supremo Divini Pastoris mandato deesse nec possumus, nec debemus, quo & illius oves pacere, & fratres nostros confirmare præcipimus, animo nobiscum repuntantes, quod verbum Dei non est alligatum, postquam diu tentatis inutiliter consiliis pacis hucusque siluimus, adhuc ulterius tacere Nobis non tutum, christiano autem populo periculosum fore censuimus. Ad vos proinde omnes ex unaquaque natione, quæ sub celo est, Christiane fideles, paternas voces nostras dirigimus, quò primùm quidem doloris nostri participes, retrahas nobiscum ad Deum preces deferatis, ut superna adspirante gratia, qui hæcenus contumaces fuerunt, non jam al-

te-

terius alta sapientes, sed humilibus consentientes ad debitam cum ceteris Christianis fidelibus in sana, catholicaque doctrina profectam veniant unitatem. Hoc nempe ex animo unice querimus, hoc dies, noctesque, nec sine lacrymis à Domino imploramus; neque enim oblivisci potest mulier infantem suum, nec Sancta Romana Ecclesia filios suos. Deinde nequis christianum populum seducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut necesse est, monitos volumus, & certos facimus, quod frustra, & quidem non sine fermento malitiæ, & nequitia, istiusmodi homines nobiscum in doctrina religionis consentire se jactant, dum interim, heterodoxorum exemplo præeunte, editam à Nobis constitutionem, quam universa ecclesia veneratione debita complectitur, non modo alienis ab ipso verborum tenore interpretationibus, sed & aperte calumnias superinductis, malignè carpere audent & immanium errorum accusatione perstringere; perinde ac si ipsi soli, alii Christiani fidelibus ubique gentium desipientibus, sapienter, ipsi soli, reliquis cæcipientibus, lumen veritatis aspicerent. Nec profecto minor est illorum culpa, qui ut facilius incautus illudant, cum hæc ipsa moluntur, eadem constitutioni nostræ nequam adversari, sed sola declarationes, in rebus tamen apud ceteros omnes plenè perspicuis, postulare se simulant, non quidem disere, sed tentare cupientes, ut ecclesiam si possint questionibus inutilibus, & interminatis immisceant, & luci catholice veritatis tenebras quomodo obscuritatis offundant. Ita sanè patientia nostra abutentes, apostolicæ auctoritatis obsequium, ac reverentiam se exhibere gloriantur illo ipso tempore, quo ei gravissimam inferant injuriam; iisdem siquidem explicationum petitionibus satis aperte ostendunt, ideò se constitutioni nostræ debitam obedientiam nondum præstitisse, quia verentur, ne per illam catholicam dogmata convellantur: ne laudabilis, & ab hac Sancta Sede probata ecclesiastica disciplina infringatur: neve demum salubriores christianorum morum regulæ subvertantur; quod planè idem est ac vereri, ne defecerit fides Petri, totaque Christi ecclesia magisterio apostolicæ vocis imbuta à via veritatis, & salutis erraverit. Præterea, ut pessima causæ splendidi patrocini concilium, præfateque constitutioni majorem undecumque invidiam faciant, se ab ea suscipienda retardari affirmant, eo quod suspicentur per illam damnari sententias, atque doctrinas, quas insignes catholicorum scholæ absque ulla censura hæcenus tenuerunt, ac tradiderunt; cum tamen, nisi ab antiquis semitis, Sanctorumque Patrum vestigiis, immò & ab earumdem scholarum instituto, quod verus profectus, re ipsa recessissent, probè remissis deberent quod illarum Principum, quorum nomina pernicia sua temetè prætentunt, quemadmodum & ceteri illustriores ecclesiæ scriptores, suum semper esse duxerunt, ut ab Apostolica Sede discerent, quid credere, quid tenere, quid docere deberent: ut ad illa scripta, sua examinanda, & emendanda dirigerent: ut inde lumen catholice fidei reciperent, ubi non posset fides ipsa sentire defectum: ut nemo eorum denique sententiam suam adversus Petri auctoritatem defenderet... Ceterùm in hoc ipso præpostero iudicio consuetum calumniandi morem non derelinquent; nisi enim excacaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, quam lucem, ignorare non deberent sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam & liberè in catholicis scholis, etiam post editam à nobis memoratam constitutionem, sub oculis nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verùm superprecidit ignis contentions, & æmulationis, & non viderunt solem lucidissimæ veritatis. Hinc justo Dei iudicio ambulantes in tenebris, nesciunt planè quò vadant: scandalum siquidem de constitutione nostra comminiscunt; sed se ipsos potius de pernicia sua inobediencia scandalum facere non agnoscunt. Sacrosanctam Episcopatus dignitatem exaltate se velle declarant: sed re ipsa depriment, dum interim fraternitatem ipsi contemnunt, audacissimè inferioris Clerici rebellionis fomentum tribunt, universumque ecclesiasticum ordinem laicis tribalibus, vel in ipsa religionis causa, indecorè, ac perperam subijci non attendunt. De

FERRAR. BIBLIOTE. TOM. II.

perspecta, multa, & plerumque inutiliter disputant, novæque præstantiam, quam omnes agnoscunt, & profectur, inculcare non desinunt; utriusque tamen legis plenitudinem, quæ est dilectio, minime observant. Charitatem nulli impensius laudant: nulli impudentius violant. Divinæ gratiæ virtutem prædicant, quam catholicus nullus negat: sed damnatis erroribus faventes Spiritui Gratia contumeliam faciunt. Quòd verò nos de pusillorum scandalo sollicitos plurimum ex cruciat, illud est, quod dum plerique eorum hæc faciunt, vel consentiant facientibus, adhuc specioso quodam ementia severitatis amictu se contegentes, rigidioris doctrinæ gloriam captare non cessant, instituendæque in melius christianorum vitæ, & ad normam evangelii componendæ zelum magnificè ostentant. Quare nos pernitiosam hanc larvam, quæ animabus præstiosissimo Christi sanguine redemptis certum parare posset exitum, palam detrahere, urgente nos apostolici ministerii debito, volentes; ipsos primum aberrantes fratres, ut aliàs sæpè privatim fecimus, publicè modò, & coram universa ecclesia monitos facimus, ne sibi ulterius de falsa exactioris disciplinæ fama blandiantur; neque enim vera virtus absque humilitate, pietas absque obedientia, christiana demùm perfectio absque charitate potest consistere. Porro quæ humilitas sensum proprium communi fratrum sententiæ, quin & supremæ Beati Petri cathedræ iudicio obstinatè præferret? Quæ obedientia Apostolicis definitionibus reluçarit? Quæ tandem charitas, injuriis, & contumeliis agere, iras, rixas, & contentiones ubique disseminare? Agnoscat igitur, divini luminis irradiante fulgore, quam gravibus coram Deo, & ecclesiæ reatibus, & periculis involvantur. Meminerint scriptum esse, quod quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus Idololatriæ est, nolle acquiescere. Omnipotens Dei, qui superbis resistit, tremendum, & imminens sibi iudicium timeant. Ecclesiæque pacem simul, & reipublicæ tranquillitatem perturbare tandem aliquandò desistant. Reliquos deinde vos omnes per universum terrarum orbem apostolicæ fidei cultores paternè admonemus requirimus, & obtestamur, ut ad eos, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, probè dignoscendos, certissimam illam, quam Dominus, ac Salvator noster nobis reliquit, regulam adhibeatis, videlicet: à fructibus eorum cognoscetis eos. Qui autem fructus istis sint, ex eorum, qui constitutioni nostræ sese submittere renuerunt, contumacia provenientes, toti jam penè christiano orbem nimirum perspecti sunt, & manifesti; de illis propterea, nè acerbissimi doloris nostri vulnere refricemus, prolixius eloqui libenter abstinemus. Nolite ergo, filii dilectissimi, vosque potissimum, qui ut loco, ita & periculo propinquiores estis, nolite effici participes eorum, nolite omni spiritui credere, doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci, sed sanam, & orthodoxam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam, quæ sacrum fidei depositum inemeratè servat, tuto sequimini, & firmiter custodite. Nos verò, quos ceteris zelo domus Dei non minus, quam dignitate, præire oportet, ut ingruentium tot malorum gravitatem, quantum rerum, & temporum præsens conditio patitur, opportunè occurramus, præsertim nè Pastores errantes, & in errorem mittentes, disperdere, & dilacerare gregem Domini, nemine cobibente, prosequantur: neve oves Christi, nobis tacentibus, rapi in precipitia se sinant, universis Christianis fidelibus, quid interim gravissimam hac in re nos agere duxerimus, palam edicere, & declarare statuimus. Noverint ergo omnes, qui ubicumque terrarum Catholico nomine gloriantur, nos, qui Unigeniti Filii Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, vices, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, in terris gerimus, eos omnes, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis illi sint, etiamsi episcopali, archiepiscopali, aut alia qualibet, etiam Cardinalatus dignitate præfulgeant, qui memoratæ constitutioni nostræ debitam, & omnimodam obedientiam præstare hæcenus recusarunt, aut imposterum recusare ausi fuerint, ut veros Sanctæ Romanæ ecclesiæ filios non agnosceret: neque ut nobis, & Beati Petri cathedræ, quod falso autuntur, adherentes, & consentientes, sed contra potius, uti aperte inobedientes, ac notorie contumaces, & refractarios habere, tenere, ac

S

re-

reputare; & quoniam primo ipsi a nobis, & Sancta Romana Ecclesia, se minus expressis verbis, factis certe, pertinacisque, & obduratæ mentis multiplici significatione recesserunt, illos similiter a nobis, tamquam a nostra, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ charitate prorsus segregatos haberi nullamque proinde nobis, & ipsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deinceps cum illis communione ecclesiasticam exturam, donèc (quod faxit Deus) integrè respiscant, rejeque penitus audacia refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ, quam complures eorum Romano Pontifici Beati Petri successori, ac Jesu Christi Vicario, in ipsamet solemnè professione catholice fidei, interposita iurjurandi religione, ad sancta Dei evangelia sæpius sponderunt, pristinæ charitati, & unitati ab eadem Apostolica Sede restitui mereantur. Ad vos postremo, Venerabiles Fratres, Patriarchæ, Primate, Archiepiscopi, Episcopi, ceterique omnes ecclesiasticæ Præsules, gaudium nostrum, & corona nostra, apostolicæ dilectionis nostræ sermonem convertimus, hortantes vos, & obsecrantes in Domino, ut pro eo, quo polletis, pastoralis zelo, commissas vobis Christi oves a venenatis pascuis, id est, profanarum vocum, & doctrinarum novitibus sedulo arceatis, simulque paternam sollicitudinem nostram in revocandis ad saniora consilia quibuscumque dissidentibus efficacius adjuvetis, ita ut vobis indivulsam cum Sancta Romana Ecclesia in doctrina fidei unitatem, quod jam plerique vestrum egregiè præstitistis, firmissime profitentibus, christiani omnes agnoscat vos longè ab illis esse, qui elongaverunt se a nobis, ac illorum damnablem inobedientiam a nobiscum adversari, & improbare, eosque nisi respicerint, à communis societatis charitate prorsus alienos habere. Utinam qui paternis hæcenus humilitatis nostræ vocibus reluctati sunt, vobis omnibus non modò argumentibus, obsecrantibus, & increpantibus, sed & ab eorum consortio penitus abstinentibus, erubescant, confundantur, & convertantur, detque illis Deus penitentiam ad cognoscendam veritatem, ut secundum apostolicam doctrinam, id ipsum tandem dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: simus autem perfecti in eosdem sensu, & in eadem sententia, auxiliante nobis per omnia gratia Domini nostri Jesu Christi, cui est honor, & gloria in secula. Amen. Ut autem præsentis literæ ad omnium fidelium quibuscumque locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ ipsi originalibus literis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ admonitionis, edicti, declarationis, hortationis, obsecrationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo octavo, quinto kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno 18. J. Card. Prodaturus. — F. Card. Oliverius. — Visa de Curia L. Sergardus Pro-Abbreviator. — Loco ϕ plumbi. — L. Martineus. — Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo octavo, Indictione undecima, die verò 8. mensis Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Pape XI. anno ejus 18. supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, magnæ Curie Innocentianæ, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Antonium Placentinum Apostolicum Cursorum. — Ludovicus Cappellus Mag. Curs. Præter ea, quæ in hoc opere inserta inveniuntur (vid. lit. C. ex pag. 219. ad 229. lit. E. ex pag. 135. ad 149. atque lit. F. ex pag. 10. ad 28.) recognoscere convenit codicem tunc temporis scilicet anno 1719. à Complutensi Doctore D. Josepho de Yermo & Santibañez in lucem editum, cui titulus est: *Defensio Cathedræ Sancti Pe-*

tri, sive in ea pro tempore sedentis Romani Pontificis, ejusque infallibilis magistrerii, independentè à Concilio Generali, & ab acceptione ecclesiæ, ad definitum irrefragabiliter dubia fidei, & morum (&c.)

In re autem dubia, quam regulam sequi debeant sacramentorum Ministri, tradit Pontifex *ibid.* §. 8. & 9. his verbis. Hoc itaque primum advertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum antea ad sacram mensam accederet, paschali præsertim tempore, à loci illius Parocho, ubi debebat, Eucharistica Communio administrata fuerit; si enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse; indeque sequetur, Sacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice postulanti denegari non posse, nisi forte, postquam olim ad Eucharisticam mensam admissus fuit, & ante id tempus, quo postrema sacramenta requirit, aliquid commissæ noscatur, quo publici, & notorii peccatoris notam, juxta præmissa, contraxerit.

Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero validè adversus ægrotum presumptiones, & indicia gravia, & urgentia militent, ob quæ obortum sibi scriptum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, ægrotum alioqui, eique cum omni lenitate, & mansuetudine, non tamquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quæ, & qualia sint indicia, quæ suspicuum reddunt ipsius vitæ tenorem; rogantes eum, & obsecrantes, ut respiscat, in eo saltem temporis articulo, à quo æterna ipsius salutis sors pendet; eidem præterea demonstrantes, quod quamvis ipsi parati sint Sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi, & horridi criminis reus se conficiat, æ quo iudicium sibi manducavit, & bibit: ceterum se non alia de causa sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiæ jubenti obtemperet, quæ præter eam, quam habet, curam, ut scandala publica avertat, pro sua etiam pietate, ægroti ipsius infamiam præcavere studet, licet peccatorem in conspectu Domini reputeat, non tamen in proprio Tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoscit. Hæc ille §. 8. & 9. citatæ constitutionis merito integraliter perlegendæ, & observandæ.

Vide verb. Viaticum.

CONSUETUDO.

SUMMARIUM.

1. **CONSUETUDO** dicitur à verbo consuesco, sive consuefacio.
2. **Consuetudo est duplex, una facti, & altera juris, & quæ sit utraque, usque ad n. 3.**
3. **Consuetudo juris est quasi altera lex parem obligandi obtinens potestatem.**
4. **Consuetudo generatim capta dividitur tripliciter, scilicet, in consuetudinem præter legem, secundum legem & contra legem.**
5. **Consuetudo præter legem quæ sit.**
6. **Ad hoc, ut hæc consuetudo obliget, requiritur, quod sit introducta à toto populo, aut majori, & saniori ejus parte cum animo saltem interpretatio se obligandi.**
7. **Hinc consuetudines, quæ ex devotione populi proficiuntur, non obligant, nec vim legis habent.**
8. **Insuper ad hoc, ut consuetudo præter legem obliget, requiritur prescriptio, ad quam expositur, & sufficit decennium, sive sit consuetudo civilis, sive canonica, etiamsi Princeps sit absens.**
9. **Consuetudo secundum legem quæ sit.**
10. **Consuetudo contra legem quæ sit.**
11. **Hæc consuetudo non potest introduci, nec dari con-**

12. **tra Jus divinum, & naturale, ad num. 13.**
13. **Potest tamen tolli, & penitus abrogari lex humana positiva, sive civilis, sive canonica per contrariam consuetudinem, dummodo ea sit rationabilis, ac legitime prescripta.**
14. **Ut consuetudo contraria legem humanam positivam tollat, & abroget, requiruntur potissimum due conditiones, videlicet, quod talis consuetudo sit rationabilis, & sit legitime prescripta.**
15. **Quæ consuetudo dicatur rationabilis.**
16. **Adducitur, & solvitur instantia, usque ad num. 18.**
17. **Consuetudo, quando dicatur legitime prescripta.**
18. **Tempus requisitum, & sufficiens, ut consuetudo censetur legitime prescripta pro abolenda, & abroganda lege civili, est decennium, pro abolenda tamen, & abroganda lege canonica est spatium quadraginta annorum, ad n. 22.**
19. **Probabile tamen est, quod etiam pro abolenda, & abroganda lege canonica sufficit decennium, sicuti pro abolenda lege civili, usque ad n. 25.**
20. **Pro abolenda, & abroganda lege, sive civili, sive canonica, per contrariam consuetudinem via convenienter introduci, probabilis non est requiri rigorosum, & determinatum tempus prescriptionis.**
21. **Consuetudo contra legem duplici modo potest introduci, scilicet, per viam convenientiæ, & per viam prescriptionis, sed n. 28.**
22. **Ad abrogandam legem per consuetudinem via convenienter introduci non requiritur bona fides.**
23. **Ad abrogandam tamen legem per consuetudinem via prescriptionis introduci non requiritur bona fides.**
24. **Licet primi legem transgredientes non possint ob suam malam fidem prescriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare, posteri tamen eorum exempla bona fide sequentes possunt prescriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare.**
25. **Consuetudo à lege reprobata, & damnata tamquam irrationabilis, & bonis moribus repugnans non potest, licet sit immemorabilis, abrogare legem.**
26. **Consuetudo à lege, seu constitutione, reprobata tamquam irrationabilis, & iniqua, intelligitur nedum de consuetudine præterite, seu existente, sed etiam de futura.**
27. **Si vero non superveniat causa tollens irrationabilitatem, & iniquitatem, quæ ab initio inesse videbatur consuetudini, tunc potest induci valida consuetudo adversus eam legem, non obstante tali reprobatione.**
28. **Per legem universalem, seu clausulam generalem, non abrogatur consuetudo nisi v. gr. non obstante quacumque consuetudine, aut ejusmodi, non abrogatur consuetudo immemorabilis, nisi de ea fiat specialis mentio.**
29. **Consuetudo, in quo principaliter differat à prescriptione, ad n. 38.**
30. **Addit. ex altera manu, & novissima, ad n. 74.**
31. **CONSUETUDO, quæ ex etymo nominis dicitur à verbo consuesco, sive consuefacio, id est, simul, ac sæpius facio, quia videlicet non inducitur nisi à majori parte communitatis simul, ac sæpius actum frequentantis, est duplex, una facti, & altera juris. Consuetudo facti, quæ est via ad consuetudinem juris, est ipsamet communiter repetitus usus, seu frequentatio actuum alicujus populi, seu communitatis sine obligatione, & ista secundum Isidorum lib. 5. etymol. art. 3. relatum in cap. Consuetudo §. dist. 1. Vocata est consuetudo, quia in communi usu est. Consuetudo juris nihil aliud est, quam Jus moribus constitutum, id est, Jus, quod ex hujusmodi communiter repetito usu, & frequentatione actuum alicujus populi, seu communitatis oritur, unde definitur ab eodem Isidoro relato in d. cap. Consuetudo §. dist. 1. quod sit Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficiat lex. Hæc consuetudo juris cum tendat ad novi juris introductionem, est quasi altera lex, parem obligandi obtinens potestatem, uti habetur in l. De quibus 32. ff. de legibus, ibi: «De quibus**

recausis scriptis legibus non timetur id custodire oportet, quod moribus, & consuetudine introductum est... Quid enim interest suffragilis populus suum voluntatem declaret, an rebus & factis? ... Invetrata consuetudo pro lege non immerito custodiatur, & hoc est Jus, quod dicitur moribus institutum. Et in l. seq. Diuturna consuetudo pro Jure, & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet." Et l. 35. ff. eod. "Sed ea quæ longa consuetudine approbata sunt, & per annos plurimos observata, veluti tacita civium conventio, non minus quam ea, quæ scripta sunt Jura, servantur.

Consuetudo generatim capta dividitur tripliciter, scilicet, in consuetudinem præter legem, secundum legem, & contra legem. Consuetudo præter legem, (quæ de Juris constitutio dicitur) est illa, quæ reperitur in casibus illis, qui à Jure communi non sunt decisi, & his solum convenit definitio tradita ab Isidoro supra num. 3. cum hæc sola habeat pro suo esse constitutur Jus novum, ubi lex deficit, seu nulla lex posita fuit, & talis consuetudo quamvis non scripta obligat æque in conscientia ac foro externo, sicuti obligat lex scripta; l. De quibus 22. ff. de legibus; ubi cum Jurisconsultus dixisset inveteratam consuetudinem pro lege non immerito custodiri, hanc rationem reddit, «Nam cum ipsæ leges non teneant, quia iudicio populi receptæ sunt, etiam ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, omnes tenebunt." Et §. Ex non scripto, Instit. de Jur. nat. gent. civil. sic habetur: «Ex non scripto Jus venit, quod usus approbat, nam diuturni mores consensu utentium comprobati Jussefiunt; quia enim ut ait S. Thomas 1.2. quest. 97. art. 2. "per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus, & rationis conceptus efficacissime declaratur; hinc quando aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio provenire, & sic consuetudo re ipsa fit lex communitatis approbantis actus repetitos populi, & inde imponit obligationem ad actus ejusmodi postea ponendos." Et ad hoc faciunt omnia alia Jura adducta supra num. 4. Ad hoc autem ut hæc consuetudo obliget, requiritur, quod sit introducta à toto populo, aut majori, & saniori ejus parte cum animo saltem interpretatio se obligandi, seu introducendum consuetudinem obligatoriam, videlicet, faciendi novam legem, seu Jus non scriptum. Glossa in cap. Cum tanto 11. de consuetud. verb. Legitime sit prescripta: & ibi Abbas n. 17. Pitking n. 28. Suarez lib. 7. de legibus cap. 4. num. 5. & 6. & alii. Et ratio est, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum l. Non omnis 16. de rebus cred. cap. Cum olim 38. de præbenda. Hinc consuetudines, quæ ex devotione populi proficiuntur, non obligant, nec vim legis habent, ut ex communi Doctorum sunt consuetudines salutandi Deiparam dato signo certis horis, audiendi missam diebus non festivis, accipiendi initio Quadragesimæ cinerem benedictum, aquam benedictam in ingressu ecclesiæ, & similes usus frequentati, & continuati à majore parte populi christiani ex libera devotione, quibus non inducitur consuetudo obligatoria. Insuper ad hoc ut consuetudo præter legem obliget, requiritur prescriptio, ad quam expositur, & sufficit decennium, sive sit consuetudo civilis, sive canonica, vel ecclesiastica, etiamsi Princeps sit absens; Glossa l. cap. & alii communiter, ex cap. Consuetudo 7. dist. 12. & lib. 11. cap. Quæ sit longa consuetudo, l. Sed ea, ff. de legibus, l. Super longi, cap. De prescript. longi temp. §. 1. Instit. de usucap. Consuetudo secundum legem, quæ non est Juris, sed facti tantum, est illa, quæ legem jam præexistentem supponit, eamque vel deductit usus, vel si ambigua est, interpretatur; unde hæc consuetudo juris præexistens confirmat, & adjuvat deducendo illud ad executionem, & observantiam; cap. In istis 3. dist. 4. ibi: «Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur. Ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur." & cap. Sopite 14. de censibus, ibi: «Unde utique videmus intentionem tuam Jure communi, & prædecessorum tuorum consuetudine adjuvari;" aut Jus dubium interpretatur, juxta leg. Si de interpretatione 57. ff. de legibus, ibi: «Si de interpretatione legis quæzatur, in primis inspicendum est,